

MOLZA (Francesco Maria)

CARMINA (672 vers)

C_1 v.1 Quale solet vitrei modulari ad fluminis undas
 2 carmen olor quando fata severa vocant,
 3 tale chely Seraphin plectroque insignis eburno
 4 ardua Parnasi dum juga forte colit.
 5 Carmine quo Dryades sicco pede, Naides udo
 6 perplaudunt choreas, capripedesque Dei,
 7 quoque immota diu tenuere cacumina quercus,
 8 flumina vel cursus continuere suos ;
 9 quin etiam niveae compulsus amore juvencae
 10 a pugna taurus saepe retentus abit,
 11 et Nysum fugiens per devia Scylla furentem
 12 oblita est vitae consuluisse fuga,
 13 et Phoebus tandem secretis excitus antris
 14 suspensasque aures oraque aperta tenet.
 15 Ecce modo ut digitis, modo pectine tangit eburno
 16 auratae Seraphin consona fila lyrae :
 17 obstupuit Phoebus numeris pellectus et arte,
 18 seque Jovis subito contulit ante pedes
 19 atque ait : "O genitor, cur caelo dignus et astris
 20 ut careat pateris nectare et ambrosia ?
 21 Audii ego et nostras tenuit concentibus aures :
 22 o pater, o quale stillat ab ore melos !
 23 Ille est ille, inquam, quem totus honos capit orbis :
 24 si non Phoebus eram, me esse velim Seraphin.
 25 Quin etiam superum liceat mihi pace fateri,
 26 dignus cui cedat contio multa poli."
 27 Tunc pater omnipotens precibus persuasus ab istis
 28 annuit, et nati sint rata dicta jubet.
 29 Divino ecce igitur sunt fila resecta poetae
 30 et tanto tellus exspoliata bono est.
 31 Sicque choros inter Seraphin sedesque beatas
 32 accitus, nostras ridet et odit opes :
 33 auditi gemitus supra Garamantas et Indos
 34 ardentisque plagas, usque et ad antipodas ;
 35 illum quin etiam Poeni ingemuere leones,
 36 Hyrcanae tigres, Sarmaticaeque ferae ;
 37 et nemora et silvas posuisse cacumina fertur,
 38 et potu ac herbis abstinuisse greges ;
 39 obtusaque acie conspecta errare sereno
 40 astra polo, ac aer, intremuitque mare.
 41 At non ista queunt fatorum avertere legem,
 42 suprema heu quoniam stat sua cuique dies.

43 Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma
 44 dicentur numeri, culte poeta, tui.
 45 Et quamvis rigidae sint cuncta obnoxia morti
 46 sola tamen virtus libera colla gerit.

IN TORRENTEM, QUI CELSUM ARCHELAUM MELINUM UNDIS OBRUERAT

C_2

v.1 Ignote o vortex, undis pluvialibus aucte
 2 atque idem fallax cum fera saevit hiems,
 3 tuque, o si qua tenes obscuri gurgitis undas
 4 Nais, et exiguus numina rivus habet,
 5 quo voscumque loco, Tibur sed propter amoenum,
 6 seu Labicani qua via trita soli,
 7 seu qua vorticibus rapidis ferit aequora Tibris,
 8 stringitis irriguis litora flexa vadis,
 9 postquam Romanae per vos facundia linguae
 10 concidit, et sacri languit oris honos,
 11 et qui vix firmos artus, viridemque juventam
 12 induerat vestro hoc raptus ab amne puer,
 13 omne decus saevae tollatur funditus undae,
 14 et retro versas lymphæ recurrat aquas,
 15 parvaque muscoso tabescant flumina in antro,
 16 arentem ut nequeant pellere fonte sitim,
 17 sed glebam inde avidus convellat vomere arator,
 18 diducatque udo jugera longa solo.
 19 Siqua tamen, canis stillat cum montibus humor,
 20 auxerit infidos mobilis unda lacus,
 21 non illis, acres aestus cum accenderit agris
 22 Delius, et pluvium flagitat herba Jovem,
 23 defendant rapidos implexa umbracula soles
 24 nullaque det tenerum graminis herba torum.
 25 Non ripas circum ramis viridantibus alni
 26 subjiciant sese, fronde nec uda salix,
 27 non violae molles immortalesque amaranthi,
 28 canaque non vernis lilia mixta rosis,
 29 sed vepres tantum inculti atque horrens paliurus,
 30 proveniantque atro dira aconita solo.
 31 Quos inserta juvet texisse nitentia flores
 32 hinc alio dulces quaerite Hamadryades,
 33 nec vos candentes artus posuisse sub unda,
 34 nec juvet infamem sumere fontis aquam.
 35 At tu Celse, animi quondam pars maxima nostri,
 36 cujus in aeternam lumina noctem abeunt,
 37 postquam dura quies et inexorabile fatum
 38 oppressere animi tot bona rara tui ;
 39 nec licet has iterum sine te, quas odimus, auras
 40 carpere, nec fletus ferrea pensa movent,
 41 aspice qui coeant maestis ad tua funera vates,
 42 utque juvet lacrimis invigilare piis :
 43 Maximus en tumulo vates Phoebique sacerdos
 44 Vida Aganippeum pollice tangit ebur ;
 45 Ille tuum involvi nomen caligine opaca
 46 non sinit, et magno digna Marone sonat,
 47 cui mitis Gibertus adest, tenebrasque sepulchro
 48 differt, et doctas convocat Aonidas.

49 Me quoque perpetuo versatum turbine rerum
 50 isthaec pauca jubet dicta referre dolor.
 51 I puer, aetherias sedes, numerumque Deorum
 52 aucture, atque hauri quas damus ore preces,
 53 quique olim nostris fulgebas Lucifer oris,
 54 ipse idem condens lumina vesper, abi.

EPITAPHIUM CELSI MELINI

C_3 v.1 Hunc venerare, hospes, tumulum, lacrimisque profusis
 2 dona feras maesta maestus et ipse manu :
 3 immitis Lachesis primo sub flore juventae
 4 Mellini huic Celsi contegere ossa dedit.
 5 Mors juvenem (o vanas nimium spes !) improba adegit
 6 ignotis vitam ponere vorticibus,
 7 ne foret aut Sophiae coleret qui puriter hortos,
 8 aut patrio nosset qui intonuisse foro.
 9 Sunt tamen haec duri, puer o, solatia casus,
 10 quod tecum elata est funere Roma pari,
 11 quod Vaticanus deflerit Juppiter et te
 12 exposcat lacrimis numina avara piis.

C_4 v.1 Excitet Oceanus quicquid pater alluit undis,
 2 et totum pubes te tua Rhene bibat,
 3 non minus Italiae stabit decus, ignea dum vis
 4 e Cursi docto fulminis ore cadet :
 5 sic Jovis immoto consurgens robore quercus
 6 contemnit Boreas, debilitatque Notos.

IN DISCESSU TURCARUM EX ITALIA

C_5 v.1 Excessere truces Italo de litore Turcae,
 2 versaue praecipiti terga dedere fugae,
 3 qui modo trajecto numerosa classe profundo,
 4 vastabant fines, Appula terra, tuos.
 5 Quo terrore omnis trepidavit ab Alpibus usque
 6 ad superum infernumque Ausonis ora mare :
 7 tuque elate jugis pater Apennine nivosis
 8 nutasti, et trepido territus amne Padus.
 9 Sed vani cecidere metus : audacia cessit
 10 hostibus, et saevas deposuere minas.
 11 Nam simul Austriades invicto milite Caesar
 12 explicuit, vires opposuitque suas,
 13 selectasque acies Italorum, et robur Iberum,
 14 et trepidis numen rebus, opemque tulit,
 15 excessere truces Italo de litore Turcae,
 16 versaue praecipiti terga dedere fugae.
 17 Qui modo Romanamque urbem delere parabant,
 18 Barbaraque in Latio ponere castra solo,
 19 non exspectata petierunt aequora pugna,
 20 versaue praecipiti terga dedere fugae.
 21 Utque olim vasti calcator Persa profundi

22 amissa trepidum classe relegit iter,
 23 haud secus ex Italo cedentes litore Turcae,
 24 perculsi foedo vilia corda metu,
 25 vela Noto, remos undis, coepta irrita ventis,
 26 versaue praecipiti terga dedere fugae.

DE ARCE CAPITOLINA DE CAELO TACTA AD PAULLUM III PONTIFICEM MAXIMUM

C_6 v.1 Nuper Tarpeias repetitis ictibus arces
 2 impulit ardenti quod pater ipse manu,
 3 quodque idem media nimborum in nocte refulsit
 4 stellarum cinctus, conspicuusque choro,
 5 et tibi quod flagrans pinus mole excidit alta,
 6 haec quoque nocturnis ignibus usta Jovis,
 7 Paulle, tibi optatam portendunt numina Pacem,
 8 adventum magnae testificata Deae.
 9 Sume animos, pacata secas pater aequora : malo
 10 nil opus est, tuta nat tibi puppis aqua.

AD DIANAM

C_7 v.1 Delia, quam sicco properans canit ore viator
 2 et minuit longae taedia mille viae,
 3 dum patrias repetit sedes formosus Alexis,
 4 aspices placido numine Diva precor,
 5 neve illi molles urantur sole capilli,
 6 detrahat aut solitum pulvis et ipse decus,
 7 ambrosiae exsudes tenui pro rore liquorem,
 8 quo matutinum te duce carpat iter.

AD SOLEM

C_8 v.1 Sol pater, aetherea cujus sub lampade foetus
 2 concipit, et varias terra ministrat opes,
 3 in virides cernis quae jam procumbere ramos
 4 poma diu, et curvo stipite nixa geri,
 5 pulcher Alexis abest patriis dum longius oris,
 6 illi pendebunt saepibus ista suis :
 7 tu face ne nimio tandem violentur ab aestu,
 8 neu rapido ad terram frigore lapsa cadant.

AD CEREREM

C_9 v.1 Haec tibi, magna Ceres, Daphnis jam messe peracta
 2 affixit foribus spicea dona tuis.
 3 Tu, Dea, fac illi jacto de semine rursus
 4 falcem hebetent valida gramina secta manu.

DE VIRGILIO

C_10 v.1 Hos Muis in sarta Maro fragrantia flores
 2 dedicat, et dulcis pocula bina meri,
 3 quas olim faciles primis expertus ab annis,

4 Hybla, tuum vatem vicit, et Ascra tuum.
 5 Nunc magni redit exuvias indutus Homeri,
 6 vos triplici heroi cingite fronde comam :
 7 este Deae memores, vestris ut maximus olim
 8 consiliis Graias fregerit unus opes.

DE FARNESIO

C_11 v.1 Caesaris excitus lacrimis Farnesius heros
 2 cum modo mutatis inveheretur equis
 3 atque illam afferret speciem, qua maximus orbi
 4 praesidet, et terras numine replet avus,
 5 obstupuit gemino percussus nomine Iberus
 6 et secum hos rauco mox dedit ore sonos :
 7 "Parce, minus Caesar tua nos si incommoda tangunt,
 8 queis tam praesentis cernimus ora Dei."

DE HIPPOLYTO CARDINALI MEDICE

C_12 v.1 Hippolytum Medica cernis qui gente viator,
 2 et juvenem ignota veste nitere vides,
 3 cur ostro tectus non sit si forte requiris,
 4 accipe et haec placida perlege mente precor.
 5 Danubii ad ripas his quondam cultibus acrem
 6 summovit Turcam finibus Ausoniis,
 7 ultima Bactra olim viresque Orientis, et Indum
 8 in nostrum veheres cum, Solimane, caput.
 9 Jure igitur sumptis colitur dux maximus armis,
 10 quorum praesidio libera turba sumus.
 11 Ipsum alias decuere sacrae redimicula mitrae,
 12 et pressit flavas infula pura comas.
 13 Hinc diversa novos dispensant tempora cultus :
 14 tu modo victorem ter veneratus abi.

DE CRUCE DOMINI

C_13 v.1 Hoc quondam eversum ligno Pater optimus orbem
 2 sustulit, humanum restituitque genus,
 3 ut conspersa Dei sacro Crux alma cruore
 4 vel magnis possit regibus esse decus.
 5 Sidera fulsit apex, radice in Tartara fertur,
 6 hoc latus Eoos, hoc fovet Hesperios.
 7 Quisquis es, hanc tecum mortales tolle per undas :
 8 inscia naufragii ligna trabemque vides.

DE CLEMENTE VII PONTIFICE MAXIMO

C_14 v.1 Sidera dum repetit Clemens, terrisque relictis
 2 in sibi jam parta collocat arce pedem,
 3 subducunt caelum nubes, et nocte coorta
 4 proluvies foedis imbribus arva premit.
 5 Caeruleus tumido Tiberis caput abdidit alveo,

6 et formidatis flumina laxat aquis.
 7 Scilicet et fluvios dolor attigit, ipsaque funus
 8 certatim ducunt maesta elementa novum.

AD PHOEBUM

C_15 v.1 Hunc tibi, Phoebae pater, lunata fronte juvenum,
 2 Tibris qua undoso largius amne fluit,
 3 Alcimedon jactata alte post terga securi
 4 mactat, et in sacros porricit exta focos.
 5 Tu si saevitum est satis, et si caedis abunde,
 6 Poenarum exsolvit si tibi Roma satis,
 7 illuviem hanc expelle, inimicaque tela retunde,
 8 et melius Turcas mitte perire feros,
 9 qui cinxisse Rhodon perstant nunc fortibus armis
 10 dilectam, et cives perdere classe tuos.

DE LYCORIDE

C_16 v.1 Alcidae magni spoliis dum laetus opimis
 2 substrata in molli pelle quiescit Amor,
 3 languenti puero fessos sopor occupat artus,
 4 et molles differt aura benigna comas.
 5 Quem temere inventum spoliis dum forte Lycoris
 6 exuit, et rapta lampade culta nitet :
 7 "Saeva dolos frustra indomito componis Amori",
 8 dixit, et inspecta saxeus obriguit.

DE AVALO

C_17 v.1 Eridani in ripis Avalus tibi, Juppiter, alta
 2 in quercu hostiles dum sacrat exuvias,
 3 quaque ferox vicit, regum ter magne Feretri,
 4 suspendit valida dona revulsa manu,
 5 tu pater ipse tuas spoliis nunc suspice silvas :
 6 nil tibi non victrix jam dabit ista manus.

AD DELIAM

C_18 v.1 Argutum inclusi junco tibi, Delia, grillum,
 2 cujus saepe mihi munere parta quies.
 3 Nam mihi nec somnum veniens cum duceret Auster,
 4 argento vel quae purior unda gemit,
 5 hic veterem instaurans propius de more querelam
 6 plus venti, et lymphae murmure plus potuit.
 7 Mox etiam majora feres, cum messe peracta
 8 capreolus nostri pignus amoris erit.

DE CARDINALI FARNESIO

C_19 v.1 Farnesi rapidae domino venante lacaenae

2 commorant celeres per juga summa feras.
 3 Forte superveniens juveni cum Delia dextra
 4 impubi obstupuit, obstupuitque gena.
 5 "Et me quam Latmi, dixit, nunc paenitet alti !
 6 Hoc poteram melius Endymione capi."

DE COLOTII FONTE

C_20 v.1 Quam bene confugit virgo in tua tecta, Coloti !
 2 Non alio poterat tutior esse loco.
 3 Jam tua numen habet Nympha, et te praeside Virgo
 4 incipit Aoniis vatibus esse liquor.

AD CAROLUM V IMPERATOREM DE VULPII COSMOGRAPHIA

C_21 v.1 Victor Alexander sumptis dum fulminat armis,
 2 angusto gemuit se nimis orbe premi.
 3 Hoc tu quam melius ! Cujus jam sceptrum veretur
 4 hic radii quicquid Vulpius ambit ope.

DE HIPPOLYTO MEDICE CARDINALI AD PHOEBUM

C_22 v.1 Hippolyto Dictynna feras, Erycina lepores,
 2 vertice nata artes, dat Jovis uxor opes.
 3 Dat superum pater ipse togam, dat belliger ensem,
 4 quo petat in nostros qui feret arma Deos,
 5 moenia quo Turcam cingentem Norica flammis
 6 aversum turpi cogat abire fuga.
 7 Certatim juveni Dii dant sua dona : salutem
 8 nemo sed affecto, tu nisi Phoebe, dabit.
 9 Quin melius vivo vitam des, Phoebe, perennem,
 10 quam tuus extincto filius ante dedit :
 11 ille suae placuit soli solo ore novercae,
 12 hic virtute placet regibus ac populis.
 13 Hoc facias, Rhodani atque Tagi rogat accola et Istri,
 14 cujus hic hostili sanguine tinxit aquas,
 15 hoc Roma, hoc Clemens, cui seu petis ardua, seu tuis
 16 prona premis, toto par nihil orbe vides.

DE URBE ROMA VASTATA

C_23 v.1 Flagrati cineres si nunc, Catilina, videres
 2 Imperii, et Latium consenuisse decus,
 3 Tarpeiasque arces oculis, Capitoliaque alta
 4 perlegeres, et quae longa ruina tegit,
 5 protinus exclames : "Odiis exercita Divum,
 6 Roma, manus tantum quae potuere nefas ?
 7 Quam melius nostris cecidisses icta procellis !
 8 Haud alia fueras digna perire manu."

POSTULATIO IUNONIS ZELOTYPAE

C_24 v.1 Candentem indutus cygnum dum Juppiter ardens
 2 dilecto Ledaë serperet in gremio,
 3 Juno ait : "Humanos potius mihi sumpseris artus,
 4 quisquis in hac falsa ludis adulter ave ;
 5 vel mea purpurea canescant pectora pluma,
 6 hac mihi sit cupiam lege colendus amor."

DE VENERE MARMOREA ROMAE

C_25 v.1 Candenti expressam saxo, somnoque jacentem,
 2 qua fluitat querulo garrula lympha pede,
 3 ut primum agnovit se se Venus aurea, tales
 4 subridens roseo protulit ore sonos :
 5 "Ipsa ego sum fateor duris his cautibus orta :
 6 nil mihi jam tecum est aequoris unda, vale."

DE EODEM

C_26 v.1 Spiranti ductam spectans se marmore Cypris,
 2 dispergit rorem qua levis unda sacrum :
 3 "Cui nudos, dixit, detexi corporis artus,
 4 aut cui tantum de me artificii licuit ?
 5 Haud alio accubitu visens Amathunta, Paphonque
 6 crediderim herboso ponere membra solo.
 7 Lumina quae veritus prudens effingere caelo est,
 8 aeterni occuluit clausa soporis ope."

DE ROSTRIS NAVALIBUS IN APUM ALVEARIA VERSIS

C_27 v.1 Ferrea rostra olim pressis erepta carinis,
 2 quae Nili fractas testificantur opes,
 3 ecce apibus parcis pandas praepandimus aulas :
 4 congesto redolent (quis putet ?) aera thymo.
 5 Caesaris haec ingens laus est, quo vindice pacis
 6 jucundos fructus arma inimica ferunt.

AD IOHANNEM NERETTUM ET TRYPHONEM BENTIUM

C_28 v.1 Annus septimus appetit, sodales,
 2 ex quo munere Tertius Deorum
 3 terrarum sola Maximus gubernat,
 4 Quo rege ingenuas videtis artes
 5 antiquam reparasse dignitatem,
 6 et cunctas solito decore niti.
 7 Multam nos igitur decet salutem
 8 curis dicere, sensibus receptae
 9 si quae nos stimulant proterviores.
 10 Tum luce omnibus hac bonis cupita,
 11 par est perpetuam madere noctem
 12 vinoque, illecebrisque diffluentes.

13 Neretti, propera, novemque Musis
 14 indicas subito solutiores
 15 lusus, quos numeris Tibullianis,
 16 Paeligno aut mage condiant lepore.
 17 Tu rorantia largius ministres,
 18 Benti, pocula, providusque sicces,
 19 quo mox fervidior tumente vena
 20 scindas lacteolis superbientem
 21 mammis jam nimium diu puellam,
 22 subnixam male viribus genuque.
 23 Forsan me Semeles puer juvabit,
 24 et fractos miseri fovebit artus :
 25 quod tandem ut struerem libens relevi
 26 omnes (quod potui) meri lagoenas.

AD COSMUM DUCEM FLORENTIAE

C_29 v.1 Quod miles modo Marte tuus pugnavit iniquo,
 2 turpi terga fugae nec tamen ille dedit,
 3 sors illud, virtus dedit hoc, quae invicta tuorum,
 4 Maxime, per te animis usque et ubique nitet.
 5 Sic Lacedaemonii, sic pugnavere Quirites,
 6 scilicet alta tui sic patris arma monent.

AD PASQUINUM IN MARTEM CONVERSUM

C_30 v.1 Tunc cum sola tibi, Mavors, Cytherea placebat,
 2 solus eras tanto dignus amore Deae :
 3 non erat in caelo formosior ulla Dione,
 4 nec tibi par superum viribus ullus erat.
 5 At nunc Roma tui manibus fundata Quirini
 6 mille parit Martes, mille parit Veneres.

IN VENUSTAM QUANDAM PUELLAM

C_31 v.1 Quae miseros olim saevis torquebat amantes
 2 ignibus, et patriis Graia puella dolis,
 3 hic molles choreas, tenerosque reponit amores,
 4 legibus intactae vivere certa Deae.
 5 Sic quondam Phrygiae victrix in vallibus Idae
 6 nunc Romae vero iudice victa Venus.

AD LACUS UT PLACIDOS SE PRINCIPI SUO PRAEBEANT

C_32 v.1 Egelidi salvete lacus muscoque virete,
 2 vestraque sit puris dulcior unda favis.
 3 Ac veluti insignit multo vos nomine princeps
 4 vester, ab Eois notus ad Hesperios,
 5 vos illi tumidos fluctus lenite vicissim,
 6 et blanda errantes pervolet aura rates,
 7 et facite in vestris si fors piscabitur undis,
 8 in jacta ut multus retia piscis eat.

IN PAULLUM III PONTIFICEM MAXIMUM

C_33 v.1 Annua redierant Terti solemnia, et ignes
 2 Urbs septem extulerat collibus alta suis,
 3 intonat ecce tibi laeva cum Juppiter arce,
 4 et caelum flammis occupat aethereis.
 5 Cedite mortales divinis ignibus ignes,
 6 et cessent gemitus aera ciere graves :
 7 ipse Deus Paulli summos testatur honores,
 8 emicat, et festos curat obitque dies.

IN EUNDEM

C_34 v.1 Accipe decoctas niveis tibi solibus uvas,
 2 farcta puellari bina canistra manu,
 3 servatasque tuos paulatim confice in usus,
 4 ora ferens dum nos tristia visit hiems.
 5 Maffaeique memor, venientem dicito in annum,
 6 impleat haec pingues vitis amoena lacus.
 7 Sic tibi languenti decedat corpore pallor
 8 buxeus, et salvum jam mea dona petant.

EPITAPHIUM LASCARIS

C_35 v.1 Lascaris hic situs est Janus, quo sospite Graium
 2 res olim fractae non potuere capi.
 3 Hic etenim in Latium dilectas Palladi Athenas
 4 detulit, et gemino mox dedit ore loqui.
 5 Saepe etiam regumque animos, populosque feroces
 6 Cecropio flexit tum sale, tum numeris.
 7 Annosi donec confectum viribus aevi
 8 exitio obrepens curva senecta dedit.
 9 Felicem ante omnes solio qui pulsus avito
 10 tam procul hic patria contegeretur humo !

JOVIS CUM NEPTUNO EXPOSTULATIO PRO PERICLITANTE CAESARIS CLASSE

C_36 v.1 Caesaris infausto depressam sidere classem
 2 viderat e summa providus arce pater,
 3 cum fratrem increpitans maestis sic vocibus inquit,
 4 subdita quem ponti caerula regna tremunt :
 5 "Quid superum magnis solus conatibus obstas
 6 et perstas sanctum tollere velle caput ?
 7 I tandem, et tellus quas non detrectat habenas,
 8 indomitus quamvis, tu quoque disce pati."

AD CAESAREM IN MARI PERICLITANTEM

C_37 v.1 Jactatas nuper Lybicus quod videris undis
 2 ipse has vento disperuisse rates,

3 ne demitte animos, his, Caesar, naufragus oris
 4 erravit fato Troius ante Pater,
 5 imperiumque orbis Lavina ad litora vexit,
 6 Romano ut caderes, Africa, pressa jugo.
 7 Sic tecum haec ista quae nunc luctatur arena
 8 fessa dabit victas, sors licet atra, manus.

DE VENERE, RELICTA CYPRO, SEDEM VENETIIS DELIGENTE

C_38 v.1 Eductam caelo mediis e fluctibus urbem
 2 dum spectat concha Cypria vecta sua,
 3 condita in aeternum flectens ad moenia cursum,
 4 illo quo flammis ore ministrat, ait :
 5 "Sum patriam mentita satis : vos litora Cypri
 6 culta olim et nostris apta valete jocis."
 7 Dixit, et infrenes medio in sermone jugales
 8 abjungens, Venetis se Dea mersit aquis.

IN POMPEII SEPULCRUM

C_39 v.1 Dux Pharia quamvis jaceas inhumatus arena,
 2 non ideo fati est saevior ira tui :
 3 indignum fuerat tellus tibi victa sepulcrum,
 4 non decuit caelo te nisi, Magne, tegi.

ANONYMI AD APOLLINEM IN TARQUINIAE MOLSAE AEGRITUDINEM

C_40 v.1 Impiger aurato Phoebus processerat Oeta,
 2 somniferumque Soror jam caput extulerat.
 3 Tempus erat quo jam serpit mortalibus aegris,
 4 et lenit curas dulcis et alta quies.
 5 Dum languet demissa genas, effusa capillos,
 6 aegro dans gemitus pectore Tarquinia :
 7 coeliacus ventrem cui concutit ilia subter
 8 heu nimium infensus ima dolor latitans :
 9 nausea tam crebro infestissima concutit illam,
 10 faucibus ut choleras evomat ac varias :
 11 et saevi tantum gliscit vis effera morbi ;
 12 corporis ut vires, deficientque animi.
 13 Adsunt frater clemens, et maestissima mater,
 14 languenti spondent acriter auxilia.
 15 Circumstant servae dextra, laevaue frequentes,
 16 ac trepidae praebent triste ministerium.
 17 Tota domus jam maeret, squallent omnia luctu ;
 18 quin imo urbs tota nil nisi triste sonat.
 19 Mox fies cunctis omnino invisus Apollo,
 20 hanc distorqueri si patiare diu.
 21 Quandoquidem ipsa tui divini numinis haustu
 22 cunctorum surda negligit aure preces.
 23 Felix quae insanos vitae mortalis honores,
 24 ac mundi blandas despicit illecebras.
 25 Aspernata procos omnes, omnesque hymenaeos,
 26 tantum addicta tibi, Castalidumque choro.

27 In qua splendet avi doctrina, et forma parentis,
 28 et castae matris jura pudicitiae.
 29 Tempore (quod mirum) diversa exercet eodem,
 30 et plectro et voce munera bina simul.
 31 Hujus summa viget majestas regia vultu
 32 laeto, quo fulgent et decor, et charites.
 33 Quidquid Graia valent, quidquid Romana Camena,
 34 quidquid Etrusca simul, huic Deus ipse dedit.
 35 Aspice doctorum numerum, juvenesque, senesque,
 36 qui invisunt sanctae limina casta domus.
 37 Hancque frequentant certatim, Parnassia tamquam
 38 responsa inde petant ambitione procul.
 39 Eia age, rumpe moras, huc adsis dexter Apollo,
 40 illi succurras munere Paeonio,
 41 ut decet, et manuum poscunt opera alta tuarum,
 42 corpore confecto jam dolor exsiliat ;
 43 festos ipse dies tibi sacros rite quotannis
 44 ob Dominam incolumem Lacune

AD LAURENTIUM MEDICEN

C_41 v.1 Invisum ferro Laurens dum percutit hostem,
 2 quod premeret Patriae libera colla suae ;
 3 "Te ne hic nunc, inquit, patiar, qui ferre Tyrannos
 4 vix olim Romae marmoreos potui ?"

PAULLUS PANSA

DE MOLSAE OBITU ELEGIA

v.1 Esse deos credam ? Credam pietate moveri
 2 numina ? Credam igitur curam hominum esse Jovi ?
 3 Cur credam, si fata preces, justasque querelas
 4 despiciunt, sacris et data tura focis ?
 5 Molsa tuus vates, Musarum gloria, Phoebe,
 6 occidit, ah pietas, ah pudor, ah facinus !
 7 Dic ubi eras, cum tabificus consumeret artus
 8 morbus, et inficeret pectus et ora lues ?
 9 Numquid in Aonia ludebas valle, madentem
 10 aut crinem aptabas dente Cythoriaco ?
 11 An lotus niveos humeros et candida colla,
 12 tangebans blandae fila canora lyrae ?

13 An fessus nimio cantu per florea Tempe
14 captabas somnos ad leve murmur aquae ?
15 Scilicet innumeris donis ornabimus aras,
16 concidet et templis hostia sacra tuis,
17 ut tu ignavus, iners, nulla exorandus acerra,
18 vota leves jubeas irrita ferre notos.
19 I nunc, et medicae inventorem dicier artis
20 te jacta, et soli gramina nota tibi.
21 Tene putem stravisse manu Pythona superbum,
22 aesculea unde virent Pythia sacra coma ?
23 Tene Jovi Phlegrae in pugna favisse Deisque
24 narretur saeclo fabula ficta rudi ?
25 Ah pudeat gestare arcum, imbellesque sagittas,
26 pone arcum et pharetram, tela reconde tua :
27 abde tuos vultus latebris, te claude barathro,
28 laurea non victrix convenit ulla tibi.
29 Et vos ite procul, jam non moror, ite Camenae,
30 quas licet heu sero, me coluisse piget.
31 Vestrum erat exorare necem, exorare sororum
32 jura trium, et multa flectere fata prece.
33 Roboris heu tantum mors est tibi, tanta potestas ?
34 Debuit hoc saltem non licuisse nefas.
35 Illi non elegi, poterant qui saxa movere,
36 et ferri, et chalybis vincere duritiem,
37 illi elegi languens fudit quos funere in ipso
38 flexere ! O ventis durior et scopulis !
39 Heu res ancipites, heu vota incerta ! Quid eheu
40 sperandum, heu fragilem vitam hominumque brevem !
41 Certatim huic omnes docti properate poetae,
42 publicus ostendat publica damna dolor :
43 et taxo impliciti crines, algaque fluenti
44 plangite funestis pectora vestra modis.
45 Omnibus idem animus, color unus, vultus et unus,
46 affectis qualis maestitia esse solet :
47 fundite et Assyrios succos, date lilia passim,
48 atque Arabum verno rore madescat humus.
49 Huc caltha, et casia, et thymbra plenos calathiscos
50 afferte, et capuli cingite fronde latus.
51 Solvite lugentes gelido solemnia busto,
52 cereus et longo luceat igne focus.
53 Spumantes Baccho pateras, et cymbia lactis
54 vergite, et Actaei mella liquata favi.
55 Ter lustrate rogam, tumulum ter spargite lympha,
56 dicite ter, Molsae molliter ossa cubent.
57 Natus ubi est ? Duram ah fortem ! Qui lumina patris
58 comprimat, et largis fletibus ora riget.
59 Per Mutinae plateas nunc forsitan ille vagatur,
60 proque patris reditu victima multa cadit.
61 Uxor abest misera, infelix, quae justa parentet
62 ingrata, et peragat funeris exequias :
63 uxor abest miseranda, licet nec figere labris
64 oscula, nec fugientem excipere ore animam.
65 Haec posset flammis sese immiscere mariti,
66 clarior Euadnae, Dulichiaque nuru.
67 Quod tibi obest facinus ? Quodnam scelus obfuit ? Aut quis
68 error te damnat ? Quae tibi culpa nocet ?

69 Ecquid Latonam, veluti Sipyleia mater,
70 laesisti, an lucos, templaque sancta Deum ?
71 Quaenam haec invidia est, aut quod fatum obstitit, ut tu
72 ultima non possis dicere verba viro ?
73 Postquam igitur conjux fidissima adesse favillis
74 non valet, et Pario ponere verba cado :
75 uxoris tu dia vices Victoria sume,
76 Aonides crebro quam decimam esse putant.
77 Nec dedigneris Romano sanguine creta,
78 illustri quamvis stemmate fulta nites.
79 Claude oculos, misce violas, contexe amarantos,
80 frigentique genae laureaserta para.
81 Purpureas albis mixtim compone corollas,
82 cernent Paestaniscana ligustra rosis.
83 Praecipue decus Italidum Gonzagia proles
84 Julia, quae viduum casta cubile colit,
85 quae forma, et virtute omnes Heroidas anteit,
86 Phosphoros exoriens cetera ut astra premit,
87 defleat, atque Indos mittat lugubris odores,
88 et myrrham et nardum Coryciumque crocum.
89 Convenit officium tibi, Julia, convenit istud,
90 infelix nec habet quod notet invidia.
91 Namque tuam divam effigiem, quam vellet Apelles
92 pinxisse, et Zeusis Parrhasiique manus,
93 atque animi dotes divino carmine vates
94 extulit, ut stupeat sedula posteritas.
95 Lugeat humenti nympha et Tiberina recessu,
96 quae meruit rauco saepius ore cani :
97 unguibus et laniata genas, laniata capillos,
98 pectora percutiat candidiora nive :
99 acclivis feretro incumbat, complexaque cippum
100 haereat, avelli nequeat unde gemens.
101 Concita dein qualis Thyas per roscida prata
102 cursitet, hinc colles, hinc nemora alta petat.
103 Clamet, Io, mi Molsa jaces : cur Antropos ausa es
104 pendula adhuc tereti rumpere pensa colo ?
105 Lugeat hunc spatiosus ager, saltusque relictis,
106 compitaque et valles rusque et ovile fleat.
107 Ingeminet questus, repetant suspiria Nymphae,
108 et luctu et lacrimis personet omne solum.
109 Margine in herboso responset flumina Mossam,
110 amissum Molsam fonte queratur olor.
111 Exstinctum referant Molsam resonantia saxa,
112 Molsam iterent montes, Molsam iterent silvae.
113 Caerulus ereptum Nereus gemat, Amphitrite
114 augeat Alcyonum, qua patet unda, sonos.
115 Pastores quo se referent, quo armenta gregesve ?
116 Ad mulctram quis aget nocte dieque pecus ?
117 Squalebunt posthac sitiienti in palmite gemmae,
118 et tenerum in culmis perdet arista satum.
119 Arebunt per prata herbae, dare poma negabit
120 hortulus, irriguae deficient et aquae.
121 Palladius aestus baccas, vel frigus aduret,
122 arboribus cunctis excutietur honos.
123 Non fetus dabit armentum, nec vellera, nec lac,
124 nec fluet Hyblaeus Cecropiusque latex.

125 Quis posthac juvenum teneros cantabit amores ?
 126 Quis Veneris posthac dulcia furta canet ?
 127 Quis Romam et Romae claros describet honores ?
 128 Quisve Sophocleo bella sonanda pede ?
 129 Jacturae heu quantum fecit liquidissimus Arnus,
 130 seu numeros, seu tu verba soluta velis.
 131 Sed jam longa venit feralis pompa sepulcri,
 132 occupat en omnes sexus uterque vias.
 133 Conde, pater Tiberine, caput, cava stagna subito,
 134 nec videas flammis ora verenda capi.
 135 Heu fugite, heu properate citae, petite antra frequentes
 136 Naiades, et querula voce replete lacus.
 137 Siccine dii voluere ; aut sunt haec praemia laudi ?
 138 Hocne meret probitas, hocne meret pietas ?
 139 Nunquid caede nocens foedavit sanguine dextram ?
 140 Miscuit an puro toxica dira mero ?
 141 Ecquid eum Antiphaten Laestrygona credidit esse
 142 Juppiter, an Tityon, centimanumque Gygen ?
 143 Quid prodest vixisse pium, aut odisse profanum
 144 vulgus, et a saevis abstinuisse malis ?
 145 Huc adsis Cytheraea, tuum venerare poetam,
 146 te videat flentem femina virque palam :
 147 ne myrto redimita caput, sed cincta cupresso,
 148 accende in pullo funere pulla faces.
 149 Frangat Amor pharetram, rumpat sua tela Cupido,
 150 polluat immundo pulvere et ora Jocus.
 151 Intersit flammae lacrimans Elegia rogali,
 152 et tanto incedat funere rauca Chelys.
 153 Et testae affigat titulos : hic Molsa quiescit,
 154 quo moriente necem numina et ipsa timent.
 155 Portitor excipiat cymba, ducatque per alveum,
 156 leniter alludat Styxque secunda rati.
 157 Eumenides procul, atque Erebi procul omnia monstra,
 158 nec Phlegetontaeae flamma minetur aquae.
 159 Non rota, non saxum, non vultur terreat : absint
 160 Belides infames, Tantaleusque labor.
 161 At vos illustres animae, Heroesque beati,
 162 qui colitis campos, Elysiasque domos,
 163 ite catervatim, venienti occurrite vati,
 164 assonet Orptheo pectine pulsa chelys.
 165 Tu tamen ante alios multum laetare Petrarca,
 166 et qui Certaldi tollis ad astra lares.
 167 Callimachus circumstabit, Cousque Philetas,
 168 et Sulmonensis gloria prima chori.
 169 Curret in amplexus Sappho, cultusque Tibullus
 170 gaudebit fronti composuisse rosam :
 171 Cynthia quem sequitur formosa, Propertius ultro
 172 assurgens ederae tempora fronde teget.
 173 Excipient hilari vultu, et plaudentibus ulnis,
 174 Andinusque pater, Maeoniusque senex.
 175 Felix forte tua vives post funera Molsa,
 176 trans Istrum et Gangem carmine notus eris.
 177 Te flent Ausonii populi, te Bethis et Indus,
 178 te getulae urbes, te Dacca, teque Getae.
 179 Albula praesertim tumidis immurmurat undis,
 180 et queritur septem Martia Roma jugis.

181 Nos etiam ex animo flemus, nos respice flentes,
182 sume tibi has lacrimas, sume tibi hoc gemitus,
183 hos luctus, quando nequeo tibi ponere metas,
184 Pyramides, statuas, signa et athena dare.
185 Hos questus cape, et haec suspiria, qualia mater
186 primaevi nati mittit in inferias :
187 cultorisque tui vocem cognosce supremam,
188 sic o sit cineri luxque quiesque tuo.
189 Ter salve, o longumque vale carissime Molsa,
190 o salve aeternum, Molsa, diuque vale.
191 Annua pastores solvant tibi sacra quotannis,
192 et pingui spargant muta sepulcra sero.
193 Ante tuos veniant manes, agitentque choreas
194 et Fauni et Satyri, Panque et Hamadryades.
195 Purpureum tibi ver affert levis aura Favoni,
196 te foveat tepido Chloris amica sinu.
197 Populus et platanus, laurusque acceptior omni
198 arbore, te circum fundat opaca comas.
199 Frondescatque thymum, nascatur amaracus urna,
200 somnifero et juxta perstrepat amne liquor.
201 Stillet Acidalios flores tibi daedala tellus,
202 continuo divum spiret et Ambrosiam.